73
410.6

ANG. MAR. BANDINI
IN TABVLAM EBVRNEAM
OBSERVATIONES.

ANG. MAR. BANDINI

IN

ANTIQVAM TABVLAM EBVRNEAM

SACRA QVAEDAM

D. N. IESV CHRISTI

MYSTERIA

ANAGLYPHO OPERE EXHIBENTEM

OBSERVATIONES.



Ex Gem. Mus. Med.

187

FLORENTIAE. CIↃIↃCCXLVI.

Ex Typographio ad Inſigne Apollinis in Platea S. C. M.

CENSORIBVS ADNVENTIBVS

Digitized by Google

AMPLISSIMO ET REVERENDISSIMO DOMINO

FRIDERICO ALEMANNIO

S PISTORIENSIS ECCLESIAE PONTIFICI &c.

MORVM · PROBITATE · DOCTRINA

PRVDENTIA

IMMORTALIBVS · IN · PISTORIENSES

MERITIS · INCLVTO

PATRIAE · PATRI · MVSARVM · PRAESIDIO

PIORVM · SOLATIO

ANGELVS MARIA BANDINIVS

FELICITATEM.

NIhil aliud eſſe, quod animos devincire, et conciliare poſſit, quam benefacto-rum

rum munificam ſignificationem, nemo dubitat; quum enim ad mutuam ſocietatem, et natura, et neceſſitate proclives, aptique homines fiant, noſtris mentibus alte inſidet, erga eos, qui bene de nobis merentur gratos iugiter nos exhibere. Porro quum mihi animum, laborum meorum fato, et malignitate quorumdam popularium abiectum, erexiſſes, atque ad bene de ſtudiis meis ominandum tutelae, et patrocinii Tui ſignum ſuſtuliſſes, quumque praeterea ampliſſimis nuper beneficiis cumulaſſes: ita me adfecit magna animi tui liberalitas, ut nihil aliud deinceps, quam gratia, tantis meritis referenda, menti meae inhaerere coeperit. Me interim meditantem pluria, quae non ita propere, ut oportuiſſet, publici iuris facerem, ſubiit, commentariis aliquot exornatam Tabulam eburneam vetuſtis Eccleſiae temporibus adſcribendam, Tuo nomini nuncupare. Quamquam adhuc nihilominus ingratus videar,

mi-

Digitized by Google

niſi, adrepta heic occaſione, praecipuas Tui laudes, aeque, ac ſincere pro meis viribus efferam; animadverti enim, & Superos ipſos, non tam aſſiduis colentium precibus, quam ſanctitate, & innocentia adduci; magiſque acceptum iri, qui delubris eorum puram caſtamque mentem, quam qui vigilatum carmen obtulerit. Tanta itaque maximarum virtutum amplitudo Tibi contigit, ut nihil ſeveritati ab hilaritate, nihil gravitati a ſimplicitate, nihil maieſtati ab humanitate, detrahatur. Qui benigniore fortuna utuntur, fere inſoleſcere, magno ſpiritu inflari, & omnes prae ſe turpiter deſpicere, conſueverunt; eorum enim animus a rebus proſpere cedentibus, et conturbatur, et excaecatur: at Tu bonis omnifariis uberrime cumulatus, quanta moderatione, quam effuſa in pauperes, et in doctos praecipue, liberalitate, quanta in Piſtorienſes, et in omne hominum genus, humanitate praecellis! adeo ut, eos in eam opinionem omnes ad-

du-

duxeris, qua unum eſſe Te adfirment, qui caelo per auream illam Homeri catenam demiſſus, feſſae urbi ſuccurrere, et poſſis, et velis. At quoniam nobis in primis, Deum religione colendum eſſe, praecipitur; Tu ideo ſacrum Principatum tam laudabiliter geris, ut a nemine alio unquam, quam a Te, tanto ſplendore, ac munificentia Sacrorum Rituum maieſtas inſtaurari viſa ſit. Datur enim ubique intueri novas aedes exſtructas, quarum auxiſti fundos, vel comparaſti; amplificaſti alias deterſo ſitu ac ſqualore iam ſplendidas; ſacras ſupellectiles in priſtinum nitorem reſtituiſti. Quin & Parthenonem ſub D. Franciſci Saleſii auſpiciis, toto Orbe celeberrimum, & Gynecaeum, quod periclitantes puellas, ne damnum ſentirent pudoris, exciperet, a fundamentis excitaſti. Immortale profecto hoc tuum, non erga Deum modo, ſed erga aedificia ipſa meritum, reparare ruinas, & labentia templa ſuſtinere, & ab inte-

ri-

ritu vindicare, & ad religionem amplificandam nova tecta conſtruere; quae etſi muta, ſentire tamen, & geſtire Tibi videntur, quod niteant, quod innumerabili concurſu populi celebrentur. Quum vero ſit Epiſcopus in Eccleſia, tamquam in navi Gubernator, in curru Rector, in exercitu Dux, Tu vigili regimine univerſae Eccleſiae tuae membra circumſpicis, et eorum, quibus praees commodis, ſalutique ſubſervis. Teſtis mihi D. Martini ſacellum illud ſplendidiſſimum, quod incredibili munificentia erectum locupletaſti, ut ibi certis diebus Clerici ad ſacra facienda conveniant. Quid formidoloſam ſeveritatem commemorem in Eccleſiaſtica diſciplina, ſarcta ac tecta exacte ſervanda; quo factum eſt, ut conſtantia Tua invicta ad trutinam revocaretur, eo quod Eccleſiaſtica dignitas iam prolapſa, in priſtinum ſplendorem per Te fuerit reſtituta; eo quod animis vitia inſita penitus, & vetuſta eradicayeris, & in regiam virtutis viam e

vi-

vitiorum diverticulis laborioſiſſime revocaveris. Verum ſedulo animadvertens, illum, qui in pauperes liberalis atque beneficus eſt, Deum promereri: idcirco Domus Tua patet egenis, quos veluti ad ſalutis Aſylum confugientes, peculiari annonae caritate actos munificentiſſime dudum amplexus es, ut ad hyemem totam eorum egeſtati adprime largiſſimis prorſus impenſis conſulueris: hinc Te opitulatorem. Te communem Parentem conclamitant. Ad Te parvuli, ad Te iuvenes, ad Te ſenes, ad Te aegri quoque, neglecto medentium imperio, prorepere, & undecumque compita, quas magnus hoſpes virtutum Tuarum ſplendore adimples, anguſtare conſpiciuntur. Sin denique Tuus in literis promovendis amor requiratur, qui quum ſis e ſanguine inluſtriſſimo, et a viris doctiſſimis derivato, progenitus, oratio tenuis me profecto deficiet. Ecquem latet, qui vitam, qui mores iuventutis efformes? quem honorem Profeſſoribus tribuas? Quam digni-

ta-

tatem ſapientiae doctoribus habeas? adeo ut, Tuo ſub imperio ſpiritum, ſanguinem, & Patriam, apud nobiles praeſertim, ſtudia receperint, quae diuturno exſilio priorum temporum immanitas deportaverat. Tu enim Piſtorienſe bonarum artium Gymnaſium nova luce, atque ornamento conluſtraſti, adoleſcentes ad virtutem excitando, & egenos praeſenti ope, ac ſubſidio tuendo. Magna ſane felicitas ingeniorum alacrium haec eſt, ut tantum Praeſulem nacta ſint; ſed, nec Tui fortuna minor, quod eos poſſis habere ſpectatores, ac tuorum praeclare geſtorum teſtes, qui eadem poſteritati univerſae narrare poſſint incorrupto; quae virtutes tuae celebrabuntur non ſolum ab Alumnis iſtis, ſed meis etiam carminibus, & lucubrationibus quibuſcumque. Quae quum ita ſint, haud miror, ſi Te quum talis ſis, & ſagaciſſimi Romanae Eccleſiae Praeſules, & Cardinales ſapientiſſimi, & Summus ipſe Benedictus XIV. Pontifex glorioſiſſimus, carum habe-

ant, ſummaque benivolentia proſequuntur. Quorum ego iudicium ſequutus, magna admiratione detentus, & digniſſimum Te cenſeo, cui tenues hoſce adoleſcentiae meae, veluti extemporaneos fructus, tuto deponam, grati animi officium erga Te noſtrum, quamquam exiguum teſtaturus. Accipies igitur munuſculum hoc, parvi faciendum quidem, ſi molem ſpectes, non tamen omnino rebus iis carens, quae & iucundae poterunt, & non admodum inutiles multis videri. Quod ſi non ea dixero, quae & tanta res poſtularet, & quae meritus es, cum huiuſcemodi argumento, quod exiguis ingenii mei viribus non facile tractari poteſt, tum imbecillitati noſtrae id tribuas oro, obteſtorque.

Dabam Florentiae e meo Muſeo VIII. Kal. Maias CIↃIↃCCXLVI.

IN

410. 6

et declaranda ſuperſunt, ut certatim in dies u-
nuſquiſque in commune bonum rei laudatiſſi-

A mae

Digitized by Google



IN

ed by Google

& declaranda ſuperſunt, ac [illegible]
nuſquiſque in commune bonum rei laudatiſſi-

A mae



IN

Digitized by Google

IN ANTIQVAM TABVLAM EBVRNEAM OBSERVATIONES.

QVum certum, exploratumque ſit, res praeclariſſimas ab antiquis vel inventas, vel uſurpatas, & in eorum uſu poſitas, ita & aevi ſitu ſqualidas, & edacis temporis iniuria prope conſumtas, ideoque neglectas, eſſe, ut multum laboris & ſedulitatis ad eas iterum ad priſtinum ſtatum revocandas, & in integrum reſtituendas, neceſſario requiratur. Etſi vero id virorum alacrium, doctorumque, diligentia multum una, alteraque aetate commentando praeſtiterit; nihilo tamen minus tot; & tanta ea ſunt, quae nobis inveſtiganda, & declaranda ſuperſunt, ut certatim in dies unuſquiſque in commune bonum rei laudatiſſi-

mae operam navare contendat. Qua de re tam auſus ſum & ipſe in arenam deſcendere, & nonnulla, quae ad ſacram & profanam eruditionem pertinent, proferre, modo novitatis illecebram habeant, inluſtri brevitate delectent, & veri ſcrutatorum ſtudium ac laborem, utilium cognitionum proventu, iuvare poſſint. Hoc autem ut melius exſequar, fragmentum vetuſtiſſimae eburneae ſellae, quam Exarchorum Ravennatum fuiſſe (1) dixit mihi, qui in mea poteſtate illius exemplum eſſe voluit, apta, & opportuna commentatione inluſtrabo.

Et quoniam ad eam ſedem pertinere iam dixi, antequam ad hanc Tabulam exacte perpendendam adgrediar, nonnulla de eburneis hiſce ſedibus promere lubet, ut iucundior eruditis evadat oratio noſtra; quas ob materiae nobilitatem (2) a ve-

1 Fragmentum huiuſmodi ſellae fuiſſe, arguitur etiam ex curvatura Tabulae, ex duplici ſculptura, & excavatis lateribus, quae alias Tabulis in hunc modum ſculptas forſan includebatur.

2 Quanto apud veteres ebur habebatur in pretio difficile dictu eſt. Etenim deſcribens Pſaltes Pſal. XLIV. magnificam munerum pompam, quibus in caeremonia nuptiali Salomonis ſponſa donata fuit, narrat, filias regum, munera illi obtuliſſe unguentaque in domibus Eburneis *Myrrha, & gutta, & Caſia a veſtimentis tuis, a domibus eburneis, ex quibus delectaverunt te filiae regum in honore tuo.* Domum pariter eburneam ſibi conſtruxerat Rex Achab 3 Reg. 22. 39 *Et domus eburnea, quam aedificavit* (de qua fuſe in Annalibus regum Iſrael. Et gravioribus verbis caſtigans Amos 3 14. molles & ſumptuoſas divitum Samariae voluptates, *Peribunt, ait, domus eburneae.* Has & Menelaum habuiſſe memoriae proditum eſt Odyſſ. δ verſ. 72. 73.

——— δώματα ἠχήεντα
χρυσοῦ τ' ἠλέκτρου τε, καὶ ἀργύρου
ἠδ' ἐλέφαντος.

Domus reſonantes auro, electroque, & argento atque ebore. Sed ut

a vetuſtis uſque temporibus uſitatas fuiſſe, ſexcenta veterum teſtimonia demonſtrant. Illarum tamen uſum ante Salomonis tempora nullum fuiſſe patet, qui quum ex India Elephantes, & multum ebur, in Iudaeam advehi curaſſet, grande ſolium ex ebore ſibi conſtrui iuſſit, quod ſex gradibus ornabatur, quorum ſingulis, duo hinc & inde Leones, veluti Regii corporis cuſtodes, adſtabant (1). Haec conſuetudo & ad alias nationes manavit, quum de Adraſto ita *Statius* cecinerit (2).

——Laetatur Adraſtus
Obſequio fervere domum; iamque ipſe ſuperbis
Fulgebat ſtratis, ſolioque effultus eburno.

Inſuper apud *Dionyſium* Halicarnaſſeum ἐλεφάντινος θρόνος occurrit, qui & ſellam conſularem ἐλεφαντίνην δίφρον ubique vocat, quemadmodum *Vopiſcus* in *Aureliano* eboratam dixit. Luxuriem hanc Romanorum propriam

A 2 agno-

ut alia omittam, quae fuſe tractata invenies apud *Calmetium* in Lex. Biblico, Achabus palatium eburneum ſibi aedificaſſe legitur I Reg. 22. v. 39 Et privatorum lectis ex Ebore memorantur Amos VI. 4 *qui dormitis in lectis eburneis, & laſcivitis in ſtratis veſtris*. Adeo et in Aegypto Ioſephus patrem ſuum decumbere fecit in lecto *Deſendophla*, *hoc Eburnea*, ſi credimus Chaldaeus Paraphraſtes. Ecquis denique ignorat Graecos in cultu Deorum, ebore uſos eſſe, quum ex India & Aethyopibus, ebur ad ſigna Deorum facienda advehendum curarent, ut videre eſt apud *Franciſcum Iunium de Pict. Vet.* & *Cotwerzyck. de Divitiis Rom. II. 7.* Ebora quoque antiquiſſimis temporibus ſummum pretium, ſummamque etiam copiam fuiſſe, fuſe probat *Io. Iacobus Hofmannus in Lex. Voce.*

1 *Calmetius* In Dict. Hiſt. *Sacrae Script.* ad v. Ebur.

2 Thebaid. lib. I. 526

adgnoſcit *Athenaeus* (1) ubi de Antiocho Epiphane ait, quod nonnumquam ſedebat ἐπὶ ἐλεφάντινον δίφρον κατὰ τὸ παρὰ Ῥωμαίοις ἔθος; *in ſella eburnea more Romanorum*. *Silius Italicus* de ſella curuli agens, & ipſe (2) cecinit:

Haec altas eboris decoravit honore curules.

Denique apud *Vopiſcum* in *Firmo*, ubi de Aureliano Imperatore loquitur, Diis ipſis, Deorumque parenti Iovi, ſellam ex ebore dicandam reperio, de quibus rebus conſulatur Clariſſimus *Chimentellus* (3). Hinc eſt quod *Fabri eborarii* dicerentur, qui lectis, ſellis, aliiſque rebus ebore ornandis, aut ſculpendis, incumberent, ſicuti ex antiquis inſcriptionibus patet. In Villa *Stroziana* haec Inſcriptio legitur, quam praeter *Pitiſcum* (4) *Sponius* protulit (5) in Miſcellaneis eruditae antiquitatis, & *Fabrettus* in Veterum Inſcriptionum Sylloge (6).

Q. CONSIDIVS. EVMOLPVS

FABER. EBVRAR

Exſtat & alia apud *Ducangium*, quae ita habet:

L. PLOTIO. SABINO. EBORARIO

Apud

1 Lib. v. C. iv.
2 Lib. viii.
3 De Honore Biſellii c. xv pag. 37
4 In Lex. Antiq. Roman. V. Eborarius.
5 Sect. vi. pag. ccxxiv.
6 pag. dcc. n. ccxvi Et in Antiquis Erutae Inſcriptionibus p. occlxvi. n. cix.

Apud *Gruterum* p. dcxl. n. 8.

P. CLODIVS . A . ET . CLODIÆ . L . BROMIVS . EBORARIVS
CVRIATIA . AMMIA . CONCVBINA . MEI . AMANTISSIMA
HILARO . P . ET . CVRIATIAE . DELICIAE
P . CLODIVS . P . ET . CVRIATIAE . L . P . CLODIVS . P
ET . CVRIATIAE . L
RVFIO ANTEROS
P . CLODI . P . L . HERACLIDA . SVAVIS . CVRIATIÆ . L

Apud *Fabrettum* (a).

D . M
M. ANTONIVS
M. LIBERTVS . EBORARIVS
A. LVC. SEMEL

Occurrit denique eborarius Artifex in L. I. Cod. *De Excuſatione Artificum* Tit. LXIV. Quae quum ita ſint, minime mirandum erit, ſi & Ravennae Exarchorum ſedes eburnea fuerit, quum ſemper maximo in pretio haberetur ebur, ut conſtat ex multiplici uſu, et immodico luxu, uſque ad ſaeculum XV. continuato (b). Si ad quod ſaeculum referenda ſit eiuſdem ſellae ſculptura quae-

ra-

a pag. ccvi. n. cclxxxviii.

b Conſulatur Clariſſimus Bonarrotius in Obſervat. in ſua Diptycha vetera eburnea.

ratur, ad VII. fortaſſe ex ſculpendi modo referrem, praeſertim quum paullo poſt, anno ſcilicet DCCLII. Exarchorum dignitas interierit (1).

De Tabulae huiuſce menſura, latitudine ſcilicet, & altitudine, nihil heic dicam, quum poſſit quilibet ex adpoſita in calce libri eiusdem figura, aequali omnino αὐτογράφῳ, eamdem dimetiri. Hiſce praemiſſis, ad anteriorem Tabellae faciem declarandam deveniamus, quae primum Chriſti Servatoris noſtri miraculum repraeſentat, quod *Ioannes* cap. II. narrat, dum ſcilicet in convivio Canae Galilaeae, aquam ſex hydriis lapideis, ut tradit laudatus Evangeliſta, contentam, in vinum convertit (2). Eas *Eraſmus* (3), *Theodorus Beza*, (4) & *Lucas Brugenſis* (5), ad aquam ſubſcipiendam deſtinatas fuiſſe, ut melius oſtendemus, adſeveratunt. Illarum forma ampla erat, ex lapide plerumque confectarum: unde in Evangelio di-

1 Exarchi erant Praefecti Imperatoris Conſtantinopolitani, quorum origo ab Iuſtino Iuniore An. 567. repetenda eſt, pulſis a Beliſario, & Narſete ex Italia Gothis ex parte barbaris. Primus Longinus Ravennae Exarchus, & poſtremus Eutychius fuit, ſub quo Aiſtulphus, Langobardorum Rex, Ravennam armis occupavit, circa annum 752. Vid. Rub. Iib. [illegible] Hiſt. Rav. & Warnef. lib. [illegible] c. [illegible] Dionyſ. Petav. Rat. Temp. c. [illegible] Murat. T. IV. Annal. Italiae An. DCCLII. et Beſtmanum in Lex univ.

2 Si vinum defecerit, ne timeret; nam auptiae per plures dies producebantur, ut obſervat Du-Hamel Part. II. Adn. in Bib. & vini uſus olim, & noſtra etiam aetate, apud Ebraeos infrequens erat; nec olli nisi aqua dilutum geſtabant, ſi quando non meroni deliberatur in ſil. [illegible] Calmetius obſervat Ad Eſth. [illegible] & T. [illegible] Diſs. de Feſtis. [illegible]

3 Deſid. Eraſmus in Adnot. in Novum Teſtament.

4 Vers. S. Bibl.

5 Lucas Brugenſis in Variant. S. Bibliae locis.

dicitur, quòd illae erant κείμεναι, ideſt ſitae, poſitae, ſeu locatae, ut indicat *Nonnus* (1), & notant *Bernardus Lamius* (2), & *Franciſcus Toledus* (3). Hinc a *Nonno* (4) & *Sedulio*, *lacus* iure meritoque adpellantur.

Sed ut de illarum capacitate aliquid opportune proferam, teſtatur Evangeliſta, ſingulas continuiſſe Metretas binas, vel ternas, ſic promiſcue earum magnitudinem denuncians. Metretae nomen ſervatur in Verſionibus, *Vulgata*, *Flacii Illyrici*, *Tigurina*, *Ariae Montani*, *Caſtalionis*, & ab *Eraſmo* etiam. Alii vero diverſe interpretantur, etenim *Pagninus*, *Beza*, & *Biblia Maxima*, *Amphoras*; Perſica Verſio *Menſuras*, *Tremellius* ex Syriaca *Quadrantalia*, transferunt. *Quadrantal* autem, ait *Ludovicus de Dieu*

1 *Nonnus* ita illas deſcribit in Paraph. Evang. ſecundum Io. c. II v. 22.

[illegible]

Vel duo.

—— *Oppoſita autem ad parietes Reclinatae ordine continuitae Amphorae,*
Sex erant, Tres menſuras capientes late ſin
Vel duas.

2 Lamius T. I. Comm. in Conc. Evang. lib. II c. 2.

3 In Jo. Evang. c. 2.

4 *Nonnus* l. C. v. 8 poſt enarratum Chriſti miraculum, ita continuat deſcriptionem.

[illegible]

Vinum autem adferenti iuſſo Rex ſignificativa voce,
Portans haurientes domeſtico ex lacu
Convivii moderatori adferte ſuavem aquam.

Quibus adde etiam *Sedulii* verba lib. III Mirab. Div.

Prima ſuae Dominus ebdomadis dignatus adeſſe
Virtutis documenta dedit, convivaque praeſens
Paſtore, in paſc. venient &c.
Impletos ſiquidem Latices hoc nectare Chriſtus.

Dien (1), eſt octava pars Cadi, ſive Modii. Μετρητὴς dicitur ἀπὸ τοῦ μετρεῖσθαι, a metiendo, ut ait *Hoſtus* (2), eo quod menſura eſſet, ut *Budaeus* (3) & *Piiſcus* (4) egregie comprobant.

Quando nomen hoc coeperit non adeo notum eſſe arguit citatus *Ludovicus* Κ'π'δ'ε'ς. Septuaginta enim Interpretes, dummodo iis tribuatur verſio, eo, ut obſervat *Lightfoot.* in Harmonia (5), varie utuntur, modo ſcilicet pro *Batho*, quae erat in liquidis menſura eadem, ac in aridis, ut liquet ex Ezech. XXXXV. 11. modo pro *Satho*, quae erat tertia pars *Bathi*, ut I. Reg. XVIII. 32. (6) Verum *Druſius* ex *Beza* Μετρητὴν Cadum ſignificare cenſet (7), quamquam Septuaginta numquam μετρητὴν, ſed ὑδρίαν vertant, ideoque hydria eſt, quae Ebraice כד vel Amphoram, non Romanam, ut nonnullis placet, ſed ut melioris notae Critici, cum *Waſero* (8) Atticam fuiſ-

1 Vide etiam Io. Caſp. Eiſenſchmidium de Pond. & Menſuris ſect. 2. Cap. 11. Amphora, alias Quadrantal, cubus erat, cuius ſingula latera pedem aequabant.

2 *Hoſius* in Diſſ. in Crit. Append. XXXVI LVII.

3 *Budaeus* lib. v. de Aſſe & partibus eius.

4 *Piiſcus* in Lex Antiq. Rom. v. metretes. *Nicolaus Perottus* Corn. Ling. Latinae ex edit. Ald. MDXIII. p. CCCV. n. XXXVI.

5 In Harm. II. cuius.

6 Inter menſuras Ebraicas liquidarum maxima fuit Bathus, Bath, & Badus, de quo fuſe loquitur Eiſenſchm. & cum menſuram explicat Barth. Beverinus in Syntagmate de Pond. & Menſ. cum Additionibus Sebaſt. Pauli.

7 Μετρητὴς, ἀμφὺς, κεράμιον. Metretes, Cadum, Ceramium, eſt menſura Attica duodecim congiorum Nicandri Scholiaſtes, ὁ μετρητὴς ἔχει ξέστας ἑβδομήκοντα δύο, hoc eſt, Metretes habet ſextarios ſeptuaginta duos. Vid. Eiſenſchmidium & C. Barth. Beverinum. De Pond. & Menſ.

8 *VVaſ.* de antiq. numis & menſuris Ebraeorum l. v. Hoſſius ibidem.

Digitized by Google

fuiſſe dicendum eſt. Et revera Ioannes non latine, ſed graece, & in Aſia ſcripſit (1). Graeca igitur Romanam ſuperabat dimidio (2), & continebar Χόας, hoc eſt, congios Atticos XII. Sextarios Atticos LXXII. Cotylas CXXXXIV. libras vini CXX. libras aquae CXXI. cum dimidio, ut *Capellus* computat, quod adamuſſim cado noſtro convenit: qua de re dicendum erit, quod duos vel tres cados, vulgo *barili*, a nobis uſitatos exciperent. Atque hoc ad miraculi dignitatem eo magis in propatulo collocandam pertinet, tantam enim vini copiam Chriſtus novis Coniugibus donavit, non ut convivae in eo ſe ingurgitarent tantum, totumque in nuptiis celebrandis abſumerent, ſed & νεόγαμοι in uſus neceſſarios reſervarent, vel ut ſinguli convivae aliquid in vaſculis ſecum auferrent, vel ut aliis praegustandum darent, ſeu potius ad diuturnam miraculi memoriam reſervarent. Quae, quum ita ſint, videre eſt, quid ſentiendum ſit de vaſculis illis lapideis, quae integra, aut quorum fragmenta inter pretioſa Eccleſiarum Cimelia oſtentantur, quaſi miraculo, de quo nunc agitur, inſervierint. Tale eſt, quod Piſis in Eccleſia Principe adſervari traditur (3), & quod in Coeno-

B

1 *Calmetius* T. II Diſſert. in Prolegom. ad Evan. S. Ioannis.
2 *Alex. ab Alex.* lib. II cap. xx Gen. Dier. *Chriſtianus Bennerus* in Comp. Antiq. Graecar. e Prof. Sacr. Cap. XXXV. § VII
3 *Ioſeph Martinus*, in *Theatro Baſilicae Piſanae* Tab. XIX huius Hydriae figuram profert, cum hac Epigraphe *Una ex lapideis Hydriis, ubi in nuptiis Canae Galileae, aqua in vinum verſa eſt, ut ex Catalogo SS. Reliquiarum Primatialis Eccleſiae habetur.*

nobio Carthuſianorum Montiſacuti prope Florentiam, vulgo *della Certoſa*, quae ex illis hydriis eſſe non poſſunt, quum, quamvis lapideae, tamen anguſtae capacitatis ſint, nec vulgaris ſitulae magnitudinem excedant. Deinde perſpicuus erit Artificis lapſus, qui a priſca hydriarum forma recedens, in illarum vicem Amphoras formavit, quae ab hydriis, quibus uſus eſt Chriſtus in miraculo patrando, omnino diſcrepabant. Erant inſuper illae hydriae, ut nomen ipſum indicat, atque uſus, ad quem deſtinatae erant, inſinuat, & *Grotius* obſervat, & a nobis ſupra enunciatum eſt, non vino, ut alii voluere, ſed aquae recipiendae cauſſa deſtinatae (1), non in quibus ſedentes lavarentur, ſed unde depromta aqua in vaſis minoribus adferretur, ad purgandas non tantum manus, ſed & calices. Hinc facilius intelliges, qua de re Evangeliſta dixerit, quod erant ibi poſitae, κατὰ καθαρισμὸν, ideſt, ſecundum purificationem Iudaeorum (2); habebant enim Iudaei vaſa

1 *Baccius* de vinis, & conv. IV. p. CLXI *Voſſ.* Lex. Etymol. *Bayf.* de vaſe *Canal.* de Pond. & Menſ. Antiq. *Piſcina* in v. Hydria.

2 De Iudaeorum Lotionibus variis manuductiis illegalibus cauſſa frequentatis conſulendi ſunt interpretes Levitici, & *Leydekerus* XII. 9. De Rep. Ebr. De Lotione manuum *Pocockius* C. IX Miſcell. *Bumerſius* Diſſ. VII. Philologico Theol. D. *Theod.* *Daſſovii* Diſſ. de Luſtrationibus Ebraeorum *Vitib.* MDCXCII. & *Iacobus Ouzamer* de Lotione manuum Iudaeis uſitata *Hamb.* MDCCVI. *Io. Andreae Danzii* Diſſ. *Ien.* MDCLXXXVIII. & antiquitas Baptiſmi initiationis Iſraelitarum vindicata adverſus adſcribentes ipſi originem Chriſtianor. *Ien.* 1710. *Hammond* & *Lightfoot* ad *Matth* III. *Suicerus* Theſ. Eccleſ. in v. *Hug. Brouguſſus* L. C. Cap.

ſa¹, quae ad inſtar illarum Hydriarum Ioannis elaborata erant, in quibus congregabantur quadraginta ſata aquae, ut docet *Mickvooth* & *Bernardus Lamius*, quo ſeſe facilius abluere poſſent in perficiendis ſacris (1), & ante convivia (2), ut animadvertunt *Theophylactus*, *Toledus*, *Franciſcus Vavaſſeur* (3) & alii; unde inquit Marcus (4): *Phariſaei, & omnes Iudaei, niſi crebro laverint manus, non manducant* (5). Atque hic animadvertendum eſt, quod quum in Palaeſtina, iuxta virorum doctiſſimorum ſententiam *Chryſoſtomi*, *Theophylacti*, & *Lamii*, maxima aquae inopia eſſet, Hydrias illas, aqua plenas ſervabant, ne ſi quando immundi forent, longius flumina petenda eſſent, ſed prope, & ſine ullo incommodo purgarentur. Iſta autem vaſa ad miraculum faciendum elegit Deus, ſicuti plerique Interpretes obſervant, ut omnem occaſionem miraculi in dubium revocandi, è Phariſaeorum animis auferret. Quapropter *Iuvencus*, (6) & *Nonnus* (7) prae-

B 2 cla-

cap. xxiii §. I aliosque, quos citat doctiſſimus *Io. Albertus Fabricius* in Bibliograph. Antiquar. *Hamburgi* et *Lipſiae* A. MDCCXVI p. CCCLXXXVI de Baptiſmo Chriſt.

1 Templa nemini patuiſſe, niſi Sanctis et potis ducet citatus *Bueringſius* cap. xxiii §. I.

2 *Bueringſius* I. c. cap. xxii §. vi. quae ad illuſtrandum locum *Ioannes* xiii. 10. profert *Eſſarus*, cui addas *Ramireſium* in Pentecontarcho cap. xii et xiii.

3 In Theurgic. ſeu de miraculis Chriſti I.

4 *Marcus* c. vii. v. 3. & 4.

5 *Tournely* de Sacramento Baptiſmi Quaeſt. I.

6 Lib. II Evang. Hiſtor.

Sex illic fuerant ſaxis graeſpe' canatae
Vaſcula, quae tonnis . . . ſperrent lia metris.
Hanc iubet e ſaxis gremio comple-

clarum hoc Chriſti facinus deſcribentes, alacre Iuvenum ſtudium, in his vaſibus aqua coronandis in propatulo collocare conantur.

Haec expiationis conſuetudo ab Ebraeis, ad Graecos, & ab iis, ad Romanos manavit (1), qui propterea, iuxta ſua templa, fontes, & vaſa adponebant, ad purificationem, iuſſu XII. Tabularum, in quibus legebatur: AD DIVOS CASTE ADEVNTO. Ad quam legem vetus I. C. (1) reſpiciens, inquit: *Meminerit non niſi religioſa purificatione luſtratus, adcedere ad templa debere*. Narrat *Laertius lib.* VI. quod, quum Diogenes videret, quemdam ſe religionis cauſſa adſpergentem aquis fluvialibus, in haec verba prorupiſſe: *Ω̕ κακόδαιμον, ἐκ ἐπίςασαι ὅτι ὥσπερ τῶν ἐν γραμματικῇ ἁμαρτημάτων περιῤῥαινόμενος ἐκ ἂν ἀπαλλαγείης, ὕτως ἐδὲ τῶν ἐν τῷ βίῳ*. Erant vero hae aquae, viduae, ut vocat acerrimus *Tertullianus* (3), quoniam nulla expiandi animos virtus in illis inerat, quemadmodum apud Chriſtianos obtinuit, qui

ſpere miniſtrae,
Praecipiti parent Iuvenes, undasque coronant,
Complexi lapidum labris, tum ſpuma per orat,
Commixtas undis auras ad ſumma volutat

7 *Nonnus* l. c.

1 De Ebraeorum ablutionibus, expiationibus, & regenerationibus per aquam agunt *Tobias Pfannerus* in Theologia Gentili c. XIV. *Ioannes* praecipue *Lomeierus* in ſuo Epimenide, & *Io. Ouvenus* in Theologumenis p. CCCCXXVI. *Ottonis Sperlingii* de Baptiſmo Ethnicorum liber. *Hafniae* MDCC. de Sabaeorum Luſtrationibus *Hottingerus* p. CCLXXXI Hiſt. Orientalis *Marſhius Columna* in Hydragiologia *Viteb.* MDCCXII.

2 *Marc.* l. IX. 1

3 De Baptiſmo. *Nationes extraneae ab omni intellectu ſpiritalium poteſtatum eadem efficacia idolis ſuis ſubmentiuntur; ſed viduis aquis mentiuntur.*

qui eam Gentilium conſuetudinem, in Eccleſiam tranſtulerunt, primum in Baptiſmo per immerſionem (1) deinde ad manus, & alias corporis partes purgandas, aqua, quae in fontibus, ciſternis & magnis vaſibus, ante Eccleſias adſervabatur (2).

Vaſa haec dicebantur *Canthara*, de quibus ita *Paulinus* (3):

Cuius in expoſito praelucens Cantharus exſtat,
Quem cancellato tegit aerea culmine turris.
Cetera diſpoſitis ſtant vaſa ſub aere nudo
Fonticulis, grato varie quibus ordine fixis
Diſſidet artis opus, concordat vena metalli,
Vnaque diverſo fluit ore capacius unda.

Idem in Epiſtolis, de aliis carminibus meminit, quae ſupra arcum Baſilicae, ubi adpoſitum erat vas aquarium, legebantur.

Sancta nitens famulis interluit atria lympha,
Cantharus, intrantumque manus lavat amne miniſtro (4).

Ad quem ritum, & alii SS. Patres reſpiciunt, uti

1 Immerſionem in aquam, per plura ſaecula a Chriſtianis receptam fuiſſe, oſtendit *Edmundus Martene* lib. 1. de Ritibus Eccl. pag. CXXVIII et *Ioſeph Martinus* in Theat. Baſilic Pii Apoſtolicae traditionis inſtitutum eſſe contendunt *Nicolaus Kuntchbull* ad 1 Pari III, xx *Gabriel Toveriſon* lib Angl. de Baptiſmo, *Carolus Maria de Veri*, & *Salmaſius* Apparatu de Primatu Papae. Sibiſtriugius ad Ioa. 1, 28. aliique.

2 Lex divina ad expiationes typicas requirebat [illegible] aquam vivam, id eſt perennem et fontanam *Levit.* XV 3. at fons iſte Pſalm. XXXVI to eſt fons perpetuo flumine manans lege *Spencerum* lib. III Diſs III. Cap. I De eius uſu vide *Paullum M Quartum* Tit. III de Benedict Sacr. L. Praelud. I *Coloniae Agrippinae* MDCLXX 1. et alios quamplures.

3 Carm. X De nat 2 Felicis.

4 Ep. XXXII. ad Severum.

Digitized by Google

uti *Euſebius*, dum ait (1) Ἱερῶν δ' ἐνταῦθα καθαρσίων ἐτίθει σύμβολα, κρήνας ἀντικρὺς εἰς πρόσωπον ἐπισκευάζων τοῦ νεὼ, πολλῷ τῷ χεύματι τοῦ νάματος, τοῖς περιβόλων ἱερῶν ἐπὶ τὰ εἴσω χωροῦσι, τὴν ἀπόῤῥυψιν παρεχομένας. Et, ut alios quamplures omittam, D. Ioannis Chryſoſthomi teſtimonio utar: *Deinde*, inquit, *manus lavamus in Eccleſiam ineuntes* (2). Hinc eſt quod Tertullianus (3) nonnullorum negligentiam reprehendens, qui ad externam, & non internam, munditiem reſpiciebant, in haec prorupit verba: *Ceterum quae ratio eſt manibus quidem ablutis ſpiritu vero ſordente orationem obire*. Hoc vero peragebant, eo quod Chriſti corpus (4) prae manibus ſuſciperent, in quo diſtinguebantur a feminis, quibus tanta poteſtas data non fuit, nam illae nitidis linteamentis excipiebant. (5)

Sed

1 Lib. x C. iv
2 Homil. LXXII in Ioban.
3 De Orat. c. II Templum intrantes laviſſe menus neiret *S. Nilus* lib. I Epiſt. XXIV edit. *Allatii*. Di *Valentiniano*, qui e Sacerdote aqua luſtrali conſperſus tinctam clamydis partem abſcidit, & pugnum in pegit Sacerdoti. Vid. *Sozomenum* VI. 6. *Theodoritum* III. XVI. *Paulum Manutium* lib. VIII Apoph.
4 Latinam Eccleſiam ad VIII. uſque ſeculum azymi, & pane fermentato uſam eſſe in Euchariſtia contra *Baronium* probant *Bona* lib. I lit. G. XXIII & *Sirmondus* Diſquiſit. de azymo T. IV Opp. *Franciſcus Maria Florentinus* in Diſquiſitione de antiquo uſu fermentati panis & azymi, *Edmundus Martene* lib. I. de Ritibus pag. CCCVIII. *Franciſcus Bernonus* pag. II. Diſſ. p. CCCXV. *Tempelius* Diſſ. ſelect. T. II pag. CCCXXX quamquam *Sirmondi* ſententiae refellitur a *le Clampino* in conlectura de perpetuo Azymorum uſu, *Mabillonius* praefat. ad T. 3 Muſei Ital. pag. CXXXIV et Diſs. de Pane Euchar. Deinceps azymo ſolo Latini utuntur, Graecis fermentatum conſtanter tenentibus.
5 Olim quotidie ferrans Euchariſtiam manu ſumebant fideles *S. Auguſtinus* Serm. de Temp. CCLII,

Om-

Sed, ut unde diſceſſi immemor propoſitae brevitatis, revertar, ad reliqua Tabellae noſtrae perpendenda gradum faciam. Occurrit itaque Chriſtus, iuvenili forma donatus, haſtatam Crucem ſiniſtra deferens, ſicuti obſervatur pluribus in monumentis apud *Aringhium*, *Bonarottum*, & *Lambecium* (1) dextra hydrias illas vino plenas adſtantibus indicans. In eo igitur primum obſervanda eſt capitis tonſuratio, quod quidem non a Chriſtianis tantum, ſed & ab Ethnicis uſitatum fuiſſe (2), quae ſuperſunt monimenta teſtantur, ut indicat *Io. Lamius* Praeceptor meus ſpectatiſſimus ac venerandus, atque amicus unicus, in aureo libro *De Eruditione Apoſtolorum* inſcripto (3). Haec capitis tonſura, ut animadvertit laudatus Auctor, ea fuiſſe videtur, ut crines non ad cutem raſi, & reſecti, ſed decurtati tantum, & attonſi eſſent, ut noſtra Tabula,

Omnes viri quando communicare deſiderant, lavant manus ſuas, & omnes mulieres nitida exhibent lintеamina, ubi corpus Chriſti accipiant. Vid *Baron.* An. DCXC n. LV *Binium* ad Concil Toletanum, *Menardum* ad Sacramentar. *Gregorii* pag CCCLXXVIII *Henricum Valeſium* ad *Euſeb.* Hiſt. Eccleſ. l. VII c. IX *Io. Mabillonium* in Praef. ad Tom. III ſaeculi III Benedictin. n. XI Card. *Bonam* Rer. Liturg. c. XVII n. III.

1 Comm. de Bibl. Caeſ. Tom. II p. CCXXXII.

2 Conſule *Salmaſium* ad *Tertullianum* de Pallio, De tonſura Nazaraeorum apud Ebraeos, praeter Interpretes S. Scripturae, & qui de Nazaraeis, ac Rechabitis ſcripſere, agerunt *Spencerum* III. Diſſ. I. De Legib. Ebraeorum cap. VI pag. LXVI & *Daſſovium* Diſſ. De coma Ebraeorum licita & interdicta, *Vviteb.* MDCXCV in qua docet Idololatricam tonſionem fuiſſe, ne aures crinibus tectae relinquerentur. *Chriſtianus Brunyſius* in Comp. Antiquit. Graec. e Profanis Sacr. *Francofurti* MDCCXXXIV Cap. III Sect. I De Aegyptiorum Sacerdotibus comam radentibus meminit *Artemidorus* lib. I cap. XXIII.

3 Cap. IV. pag. LX.

la, & veterum Chriſtianorum documenta praeſeferunt: attamen non omnino tondebantur antiqui Chriſtiani (1), ſed tantum capillos per ambitum in coronae formam recidebant, unde Clerici coronati dicebantur, de quo late *Bingamus* (2), & *Bonarotius* ad Tab. IX. Fig. I. ubi Chriſtus cernitur coma quidem non admodum prolixa, ſed duobus hinc inde cincinnis antorta, uti etiam occurrit in vitro apud *Aringhium* (3). Et profecto Chriſtum, criſpos crines habuiſſe, tradunt *Theodorus Lector*, *Damaſcenus*, *Theophanes*, & *Suidas* in voce *εἰκὼ*, ut & apud *Du-Cangium* in Diſſertatione, de inferioris aevi numiſmatibus, videre eſt. Quae quamvis certa, aut ſaltem probabilia videantur, tamen quamplures Ieſu Chriſti imagines, capillo oblongo, & in humeros defluente obſervantur, cum apud *Aringhium*, tum in numo aereo Chriſtiano, ab erudito Equite

Franc.

1 Vnde originem traxerit tonſura Clericalis, & Monachorum etiamnum in Eccleſia Graeca & Latina recepta, eadeo Scriptores doctiſſimos in diverſa abire. alii enim a Iudaeis repetunt, alii ab Ethnicorum Sacerdotibus, Virginibusque Veſtalibus, ut *Jo. Dougthaeus* in Analectis ad V. T. pag. CDLXXXIII. & *Lindebrogius* pag. MCCCLXXVIII. ad Codicem Legum Antiquarum, alii e Servis, de quorum refert *Pignorius*. At vero quod ab ipſo Chriſto & Petro hic mos Eccleſiae traditus fuerit, probare contendit *Petrus Stellartius*, cuius libri III de corona & tonſura Paganorum, Iudaeorum, & Chriſtianorum in lucem prodiere *Duaci* MDCXXV, quemquam ei non adſentientem *Fabricius* cap. XVIII. pag. DLXXI Bibliograph. Antiquar. ſeu demum ab aliis repetenda ſit, videndus *Caſp. Zieglerus* de tonſura Clericorum; *Salmaſius* in Primatu Papae, & Epiſtola ſive libro de Coma ad *Colvium*.

2 Tom II Orig. Eccl. lib. VI. c. IV.

3 Lib. VI. cap. I. *Chifflet* Miſc. T. I. p. CXIII.

Franciſco Victorio inluſtrato. Inſuper apud *Bonarotium* in Vitris Tab. IX. Fig. I. & laudatum *Aringhium* lib. VI. cap. I. Chriſtus cernitur, comâ quidem non admodum prolixa, ſed duobus hinc inde cincinnis artorta. In vetuſtiſſima denique Chriſti graeca effigie, opere anaglypho in lapide ſubviridi exſculpta, quae in exiguo Muſeo noſtro adſervatur, Chriſtus oblongis capillis ad humeros defluentibus, ac denſa barba repraeſentatur, dextra erecta, & digitis, indice, medio, & minimo extenſis, plicato vero anulari, juxta ritum benedicendi, ut deinceps oſtendemus, & ſiniſtra volumen tenens.

Deinde obſervandum eſt, quare, quum illis temporibus, barbam plerique nutrirent, ut oſtendunt veterum Chriſtianorum picturae, quae Chriſtum, & Apoſtolos barbatos ſpectantium oculis obſerunt, ſicut obſervat doctiſſimus *Lamius* (1) in hac noſtra Tabella, ſculptor Chriſtum juvenem exhibuerit, quum iam trigeſimum aetatis annum attingeret, vel excederet, quapropter, quum in aliis monumentis ita repraeſentatum adinveniam, ſcilicet apud *Aringhium* (2), & *Bonarotium* (3): qui huius rei rationem reddunt; cum iiſdem opinandum erit, in eo juvene effingendo, ſignificare voluiſſe veteres Divinam eiuſdem naturam, quae temporis viciſſitudini obnoxia non eſt. Hinc facile erit a-

C gno-

1 Loc. cit. pag. LXIII. pag. DXLIX.

2 T. II. lib. VIII. cap. XVI. 3 Tab. IX. fig. I. II p. XIX.

gnoſcere, quare vetuſtae Imagines Sanctorum Patriarcharum ita conſueverint delineare. Nam, referente D. *Ioanne Chryſoſtomo* (1): *Iuſtorum animae repueraſcunt, ſemperque vigent, & in primaeva aetatis flore ſunt*. Vnde etiam in hunc modum, Angelos, ad eorum ſpiritualem naturam patefaciendam, depictos eſſe comperimus.

Praeterea eius caput circulus quidam, ſeu diſcus, ambit, ut in antiquis quoque Chriſtianorum picturis obſervatur, quod praecipui honoris, & ornamenti inſigne erat, quo Deorum ſimulacra Aegypti, & Romani deinde Imperatorum ſtatuas, decorabant (2), ut apud *Bonarotium* (3) opere non ſatis umquam laudato videre eſt, qui de eo fuſe loquitur. *Honorius Auguſtodunenſis* (4) cauſſam reddit iſtius luminis, quod etiam circa Sanctorum capita adponebatur, adſeverando, ea deſignare, quod lumine aeterni ſplendoris coronati fuere: idcirco vero

ſed

1 Homil. x in Ep. ad Rom.

2 *Servius* ad lib. II. Aeneid. n. ... nimbo effulgens: *nimbo dicitur*; *eſt enim fluidum lumen*, *quo Deorum capita cinguntur*, *ſic enim pingi ſolent*. Et idem lib. III. Aeneid. n. ... *Proprie nimbus eſt*, *quo Deorum*, *vel Imperatorum capita*, *quaſi clara nebula*, *ambire fingitur*. Capitibus Imaginum radiatos ... orbiculos, ſingulas vel coronas radiatas, multis docet *Ioannes Nicolai* in Diſſ. De Nimbis Antiquorum, quae imaginibus Deorum adponebantur, ut videre eſt in *Gisb. Cuperi* Obſervationib. lib. II. cap. xvi & *Florentii Chriſtiani* Notis ad *Ariſtophanis* aves verſ. MCXIV. Imperatorum deinde ... & nunc Sanctorum capitibus ... conſueverunt, *Io. Daniel Maior* in Serapide radiato, *Beroterius* LIV. 17 Adverſar. *Begerus* T. II Theſ. Brandenb. pag. DXXVIII. T. III. p. CCXXIV. *Nicolaus* De Nummo Pantheo *Hadriani* p. XXX. *Sponius* Miſcell. pag. CCLXXXV & *Iunius* de Pictura Veterum p. XXIV

3 Ad Vitr. lib. II. ap. LXI uſq. ad pag. LXVII.

4 Lib. I. cap. CXXXIX.

Digitized by Google

ſecundum formam rotundi ſcuti expreſſos eſſe voluit, quia divina protectione, quaſi ſcuto munirentur.

Quod vero ad veſtimentum pertinet, tunica, & pallio Ieſus operitur, quibus revera indutum fuiſſe, ex Divi Ioannis (1), aliorumque, quos vide ſis apud Clariſſimum *Lamium* (2), teſtimonio probatur. Erat autem tunica interior veſtis (3), cuius duo praecipue genera ab Eruditis recenſentur (4); unum earum, quae χειριδωταὶ dicebantur, & fibulis, corrigiiſque, quum apertae eſſent, coniungebantur; alterum earum, quae nullis eiuſmodi vinculis indigebant, ut noſtrae ſubuculae ſunt, quae ſarcioris ope corneciuntur, & clauduntur undique, ut videre eſt apud *Io. Mabillonium* (5), vel ab ipſo textore inconſutiles conficiuntur. Huius generis erat Chriſti tunica: tunica autem & Apoſtoli uſi ſunt, ex Chriſti praecepto, unam tantum tunicam geſtare iubentis, ut erudite demonſtrat laudatus *Lamius* (6). Et profecto Chriſtianorum imagines

 tu-

1 Cap. XIX. v. 23. Quare *Euſebius* lib. VI. Hiſtor. Eccleſ. capitis Servatoris ſtatuam, quae Paneade proſtabat, [illegible] indutum fuiſſe ait, id eſt, pallium duplicatum, quale cernitur apud *Bonarotam* ad vitra, Tab. V. Fig. III.

2 De Erudit. Ap. p. LXX & ſeq.

3 *Theophylactus* ad *Matthaeum* cap. V. [illegible] : Tunica proprie dicitur, quam ſubuculam vel indu[illegible] vocamus; *Calvinus* in Lex. Iuridico v. Tunica, ait, quod erat veſtis brevior & anterior; et enim toga ſuper impoſita erat, & illam contegebat. Eam meminit *Paul* L. I. de contrah. empt. *Suicerus* in Bernini Eccleſ. Theſauro voce [illegible].

4 *Lamius* l. c. pag. LXX.

5 Muſ. Ital. T. I. p. LXXII.

6 p. citat.

tunicatae proſtant apud *Boldettum* (1), *Bonarotium*, *Aringhium* (2), *Stephanum Aſſemannum* (3), & *Nicolaum Alemannum* (4). Ea denique Monachi veteres utebantur, qui antiquum, & primaevum Chriſtianorum habitum retinuiſſe videntur (5).

Tunicae pallium a pluribus ſuperinduebatur (6), uti Chriſtum in uſu habuiſſe, ex hac Tabula, & ex veterum Scriptorum auctoritate, colligitur. Erat autem pallium veſtis, quae aliis ſuperimponebatur (7), ita ut, vel pars utraque ad pedes fuſa caderet, vel una pars, ſive ala, dextra ſcilicet, ſiniſtro brachio imponeretur. Eius figuram quadrangulo ſimillimam fuiſſe viris clariſſimis viſum eſt (8), eo quod *Athenaeus* (9) tra-

1 Lib. I. cap. xxxiii.
2 Tab. xii. & ſeq.
3 In Cat. MS. Oriental. Tab. I. ſeq.
4 De Lateranenſ. Pariet.
5 *Hieronymus* in vita *Hilar.*
6 De Tunicae & Pallii uſu, forma, materia, & colore, vide apud *Calmetum* T. I. Diſſ. De Re Veſtiaria Ebraeorum.
7 *Braunius* l. c. cap. III. ſect. II. Pallium eſſe, quod Romanorum togae reſpondet, ſiniſtrum latus tegendo adeo amiculum fuiſſe aſſerit. Eundem uſum apud Ebraeos habuit, שמל *lacinia ſiniſtra* שמאל ſolum tegens, ut dextra ad res gerendas adhiberi poſſet. Vid. etiam Hofmannum in Lex. Ve. o Pallium. *Tertullianus* in libro De Pallio, quo reſpondet criminationibus, quod Chriſtianus factus, a toga ad pallium deſcenderit, et hoc cum illo permutaverit, cum not. a *Claudii Salmaſii*, et animadverſionibus *Kerkoetii*, et commentariis *Franciſci Fraeti* cap. I. Palliium erat extimplecus habitus, quare *Caſſianus* De habitu Monachorum cap. II. ultimum habitum vocat. Ita etiam *Suicerus* Theſ. Eccl. in v. ... *Bayfius* c. xi. De Re Veſtiar.

8 *Ferrarius* Analecta in Satyric. pag. xcvii. *Ernestus* MDCCXXVII. Mix ... *quadrati pallio*, ... *adpoſiti*. Eius figuram vide apud *Octavium Ferrarium* De Re Veſtiaria Tab. xxvii. par. II. lib. iv. et in Analect. De Re Veſtiaria cap. xxv. quae deſcribit et *Hofmannus*, in Lex. Univ. et *Piliſcus* in Lex. Antiq. Roman.

9 *Athenaeus* v. pag. ccxxiii. B.

Digitized by Google

tradiderit, Romanos in Aſia, ut Mithridatis iram effugerent, depoſitis togis, *quadrata veſtimenta* ſumſiſſe; & *Appianus* De Bello Civili (1) *Antonium* in Aegypto *pallium Graecanicum quadratum* induiſſe, teſtetur. Sed, utcumque ſe res habeat, certum eſt, ab Ebraeis, aliiſque nationibus, uſitatum fuiſſe, ut egregie probat laudatus *Calmetius* (2). Hinc non mirum eſt, ſi eo veſtimento indutus Chriſtus, nobis in hac Tabula exhibeatur, quod *Pſeudo-Abdias* (3) Ioanni Apoſtolo, Simoni, & Iudae, & Bartholemaeo, pariter Apoſtolis, tribuit (4), & pallium Marci Evangeliſtae VI. ſaeculo adhuc exſtitiſſe, & eo indui conſueviſſe Patriarcham Alexandrinum, ſepulturae mandato praedeceſſore, Cl. *Tillemontius* (5) obſervat (6).

Iam ſatis percurrimus ea, quae in hac Chriſti noſtri ſculptura adnotanda erant, nunc nonnulla de altera figura, quae Chriſto propior eſt,

1 *App.* De Bello Civ. V. pag. DCLXXVII.
2 Tom. I Diſſ. De Re Veſt. Ebr.
3 Lib. V. VI. VIII.
4 Eo uti Apoſtolos conſueviſſe declarant *Gretſer* ad Acta XI, 6. et *Salmaſius* ad *Tertullianum* De Pallio, et *Lamius* pag. LXXI. & c.
5 In Mem. pag. XCVI.
6 De Pallio Philoſophorum, aliorumque agerunt *Salmaſius*, *Cerda*, *Pamelius*, et alii ad cit. *Tertullianum* librum. Vid. doctiſſ. *A. Gallium*, et *Lactium* *Valeſium* ad *Stratem* pag. LXXXV. et XC. ubi de Pallio veterum *Creſollius* III. 16 Theatri Rhetorum T. 2. *Oranes Alexandri Arnoldi Pagenſtecheri* Diſſert. V. Sylloges Diſſertationum, *Bremae* MDCCXIII. et B. D. *Heller Godfrid Maſius* Diſſ. De Pallio Pauli. Demum de eo mentionem facit *Vlpianus* 1 Veſtiũ Communia ſunt ſ. de carnae argento legato *Communia veſtimenta ſunt, &c, quibus promiſcue vir, aut mulier eum vero, veluti ſi ejuſmodi penula, palliumve eſt, et reliqua, quibus ſine reprehenſione, vel vir, vel uxor, utatur.

eſt, attingamus, quae volumen dextra ſubſtinens, ſiniſtra autem, Sponſo, admodum miraculi dignitate commoto in deguſtando vino, Chriſtum, ſicuti miraculi auctorem, plicatis aliquantulum digitis, excepto indice, indicans. Hic fortaſſe Architriclinus erit, cui Chriſtus vinum delibandum miſerat; eo quod volumine, quod erat dignitatis, & auctoritatis indicium diſtinguatur; unde eſt, quod dicebatur etiam ſummus magiſter, quod, ut inquit *Athenaeus*, eſſet ἐπιστάτης τῆς ὅλης διακονίας, ſervorum nimirum tricliniarium, ut etiam ex *Iuvenco* (1) *Laurentius Pignorius* (2), *Du-Hamel*, (3) *Grotius*, & *Caietanus* (4) deprehendunt.

Huic adornandi convivii cura commiſſa erat, ideoque debebat, quae neceſſaria eſſent, exacte notare, Domino expenſa ferre, edulia curare, recteque omnia, cum ad honeſtatem, tum ad convivarum voluptatem componere, atque, ut *Eraſmus*, *Brugenſis*, & *Beza* opinantur, comparare epulas, & eas etiam adſigna-

1 *Iuvencus* Evang Hiſt lib. II. poſt enarratum miraculum, inquit

Hinc iubet, ut ſummo tradant guſtanda miniſtro:
Ille ubi percepit venientis dona ſaporis,
Neſcius en vini gratum tranſiſſe liquorem,
Egeſtas nuper puteis de fontibus undas,
Increpat ignarum ſponſum &c.

Haec ideo adtuli, ut eo magis deprehendatur, hanc figuram, Architricliniam eſſe, qui ſponſum increpat, quod tam bonum vinum, iam completo convivio protuliſſet. De eius dignitate vid. *Ciacconium* De Triclinio pag. cv *Barth* Adv vii 3. *Stuck* Ant. Conviv II. 3. *Bulengerus* de Conv. l. 19 qui Architriclinum, a convivii rege differre putat; cui et ego adſentior.

2 De Servis pag. cxiv.

3 Part II. Adv Select. in Bibl. pag. xciv

4 In locum *Ev.*

gnare, ut ſubdit *Calmetius* (1). Illorum mentio fit in vetuſtis inſcriptionibus a *Fulvio Urſino* (2) relatis, in Appendice ad *Petrum Ciacconium* de Triclinio, quae ita habent:

ELICIO. ABORTENNIO. TRICLINIARCH.

Vt etiam.

M. VLPIO. AVG. LIB. PHAEDIMO
DIVI· TRAIANI· AVG· &C. TRICLINIARCH· &C.

Item in hac:

SEX · POMPEIO · VOLESSIGO · SEX·
POMPEI· SERV· TRICLINIAR.

Verum hi, ni fallor, differebant fortaſſe ab iis, quorum officium erat unguentis pedes ungere, inferre fercula & lumina, menſas detergere, muſcas abiicere, quum id ad ſervos ſpectare videatur, de quibus fuſe laudatus *Pignorius* agit (3), & *Chriſtianus Bruningſius* (4). Singulis enim convivii officiis miniſtri praeficiebantur,

1 Tom I. Diſſert. De Re Cib. Ebr. pag. 489 *Zucrerus* in Caten cap. II. pag. LXXVII. et Tom II. Theſ. Eccleſ.

2 Pag. CCCXLIV. Alium profert *Piſiſcur* v. Triclinarcha.

3 Lib cit p CXVI et ſeq *Hofmanous* in Lex. univ.

4 Antiquit. Graec. cap. XXII. pag. CCXLIII.

tur. Hinc de procuratore Praeguſtatorum, Romae haec Inſcriptio legitur (1):

DIS. MANIBVS

TI. CLAVD. AVG. LIB

ZOSIMI. PROCVRAT

PRAEGVSTATORVM etc.

Praepoſitus auri eſcarii, memoratur in altera vetere Inſcriptione, quam Romae vidit *Laurentius Pignorius* (2) in hortis *Iulii III.* Pont. Max.

DIS MANIB

GAMVS. AVG. L. PRAEP. AVRI

ESCARI. FECIT. SIBI. ET

FLAVIAE. TYCHE. CONIVGI

BENEMERENTI etc.

Denique aliis tradebatur miniſterium argenti potorii, ut ex altero monimento arguit *Pignorius*, quod Romae pariter exſtare tradit (3).

OSSA

VIBIAE. SVCCESSAE. LIVIAE. AVG. SER.

AR. ARGENTO. POTORIO etc.

Ho-

1 Hanc profert *Pignorius* pag. CXXVII l. c.

2 Loc. cit.

3 L. c.

Digitized by Google

Horum igitur principem, Architriclinum fuiſſe crediderim, praeſertim apud Ebraeos, cuius iudicium, ſi *Grotio* credamus, plurimi habebatur, utpote viri probati, atque periti.

His declaratis, nonnulla de Sponſo heic exſculpto proferamus, qui nobis ſcyphum dextra tenens, ſiniſtra aperta, & ad Chriſtum directa, ipſumque, veluti ſtupefactus, indicans, occurrit. In eo nihil aliud obſervandum mihi eſt, quam ſcyphus, & tunica manicata, in qua ab aliis differt. Scyphus vas admodum peramplum erat (1), veluti heic indigitatur, unde *Horatius* cecinit (2).

Capaciores adfer huc, Puer, Scyphos.

Improbo, ut ita dicam, labore & induſtria nonnumquam caelabatur, ut *Plinius* declarat (3), atque eo, in conviviis praecipue utebantur ad inebriandos hoſpites, teſte *Io. Calvino* (4), quum Herculeos inde hauſtus depromere oporteret: quapropter haud

D mi-

1 *Bayſius* De Vaſculis. *Baccius* De Vino et Conv. *Petrus Ciacconius* De Triclinio. *Bulenger* De Re Cib. III. & *Moſes Philiſ.* De Luxu Graecor. *Peiſſius*, et *Hofmannus* in Lex. v. Scyphus. Illius fit mentio in L. *Labeo* xiv ubi *Gaddaeus* in Comment. n. 2v. ff. de verb. ſig.

2 Epod. ix. et *Macrobius* v. 21. cui addas *Senecae* auctoritatem Epiſt. lxxviii. ubi Scyphum capacem memorat.

3 Lib. xxxiii. Nat. Hiſt. cap. xi. ubi ait: *L. C. vero Craſſus Orator, duos Scyphos Mentoris artificis manu caelatos ſeſtertiis C. confeſſus eſt tamen, nunquam ſe his uti, propter verecundiam, auſum.* Item cap. xii. *Zopherus, qui Areopagitas, & iudicium Oreſtis in duobus ſcyphis, pendo xii aeſtimatis &c.* Vergilius Eclog. III. tale poculum, aut, eſſe divini opus Alcimedontis, canit:

In medio duo ſigna Conon, & quis fuit alter,
Deſcripſit radio totum qui gentibus Orbem.

Vid. *Cerda* in hunc locum, et in v. cclxxvii. Aeneid. lib. viii.

4 Ita *Calvinus* in Lex. Iuridico: cui adſenſum praebet *Matthias Martinius* in Lex. Philolog.

miremur, ſi doctus Tabulae noſtrae Sculptor, ſponſo ſcyphum, quum de convivio ageretur, nec aliud vas tribuerit.

Haec de ſcypho. Quod vero ad veſtem pertinet, aliquid de manicata tunica, qua ſponſus induitur, dicere haud ſupervacaneum eſſe arbitror. Eas tunicas Graeci χειριδώτους vocant, quod χειρῖδας, ſive manicas habeant, quales erant muliebres, & apud Barbaros pleroſque, etiam viriles, ut apud Phoenices: hinc ſacrificium Antonini filii Moeſae, Halagabalo numini oblatum deſcribens, *Herodianus* ait (1): *Myſtas, exta victimarum ferentes, ſtragulis tunicis amictos, & manicatis, inſtar Phoenicum, diſtinctis in medio purpurea quadam linea, ſeu forte purpurea quadam zona adſtrictis*. At quae manicas habebant, plerumque talares fuiſſe, ſexcenta Scriptorum teſtimonia demonſtrant (2), quare, quum hae ab Orientalibus, in hunc modum deportarentur, haud mirandum erit, ſi & ita indutus in noſtra Tabula homo Iudaeus ſculpatur. Hanc conſuetudinem, a nonnullis Romanorum receptam improbat *Gellius* (3), quoniam hi Romae veluti infames reputabantur (4); & quidem referente eodem,

P. A-

1 Lib. v. Cap. xiii.

2 *Salmaſius* ad Tert. De Pallio. *Ferrarius* Analect. De Re Veſt. cap. xxv.

3 Lib. vii. cap. xii. *Tunicis uti virum prolixis ultra brachia, & uſque in primores manus, ac prope in digitos, Romae, atque omni in Latio indecorum fuit &c.*

4 *Ferrarius* l. c. l. III. viii. *Laurentius* De Re Veſt. cap. II. F. Seneſſ. l. 13. *Briſſon* De Regno Perſ. l. pag. xxxix. *Tiraquell.* in Leg. Connubli l. 1. 3. §. xxvii. *Kipping.* Ant. Rom. iv. v. 2.

P. Africanus Paulli F. vir porro omnibus bonis artibus praeditus, *P. Sullo Gallo* homini delicato, inter pleraque alia, quae obiciebat, id quoque probro dedit, quod tunicis uteretur, manus rotas operientibus, unde *Virgilius* (1), tamquam femineas, & probroſas criminatur, his verbis.

Et tunicae manicas, & habent redimicula mitrae.

Cicero etiam *in Catilinam* praecipue redarguit, quod *manicatis ac ſtrictis tunicis* indutus eſſet. Deinde labente Imperio Romano ſub *Gallieno*, aut circiter, ut putat *Pitiſcus* (2), etiam chirodotae, & talares tunicae, a Romanis coeperunt geſtari, ita ut poſtea indecorae ſine manicis viderentur (3), quibus, ignominiae cauſa, rei induebantur (4).

Haec ea ſunt, quae in anteriorem Tabulam adnotanda erant, nunc ad poſteriorem declarandam deveniam, in qua primo, Angelum, qui Ioſepho in ſomnus adparuit, nuncians ei, ut ſeſe ab Herodis ira ſubtraheret, in Aegyptum, cum familia ſua effugeret, ſub oculos noſtros Artifex ponit. Verum, ut congruo ordine progrediar, ab Angelo, alis donato, ad velocitatem ſignificandam, mihi auſpicanda eſt diſceptatio, in quo obſervanda eſt culta, tenuis,

1 Aeneid. 1x v. 616.
2 In Lex. Ant. Rom.
3 *Auguſtinus* De Doctrina Chriſt. *Nunc honeſtis loco natis quum tunicatis ſunt, non eas habere flagitium eſt.*
4 *Paullus Diaconus* Hiſt. Miſcell. xxii *Et indutum hunc lanea bryo, ac ſine manicis veſtimento, ſedere fecerunt ſuper Aſinum, Sagma ferentem.*

arque expedita veſtis, qualis divino nuntio (1) convenit, quoniam, teſte *Gregorio Nazianzeno*, quum Angeli ſub humani corporis ſpecie efformantur, ipſis veſtis cultus, & nitoris minime vulgaris hilaritas, ad eorum naturalem puritatem denorandam tribuatur, neceſſe eſt. Siniſtra baculum tenet, quod indicium ſuſcipiendi a Ioſepho itineris eſſe poreſt, ſicuti occurrit etiam apud *Lambecium*, vel tubam, qua urebantur veteres, ad excitandos, & convocandos populos, uti erudite probat *Caſpar Bartolinus* (2). Altera manus cum brachio, in Ioſephum porrecta eſt, iuxta veterum benedicendi conſuetudinem, plicatis ſcilicet digitis, infimo, & anulari, erectis vero indice & medio: arque hoc in ritu breviter declarando, aliquantulum immoremur. Hic mos, ni fallor, a naturali quodam actu, originem ſuam traxiſſe arbitrarer; uſuvenit enim, quum alteui bene precamur, vel quum aliquid beneficii conferimus, ſeu aliquid iubemus, manus extollere (3), ſicut *Bonarotius* animadvertit, & ex vetuſtis Imaginibus ab *Aringhio*, & *Aſ-*

1 Ἄγγελος, nihil aliud ſonat, quam nuntius, quorum ope, ac miniſterio nobis quamplurima beneficia ſummus Deus confert, ſicuti oſtendit *Antonius Roboredus* in Diſſert. Ad Procul. Tab. Diſſ. VII. unde maximo in honore ab Ebraeis habiti ſunt Angeli, ut *Bartoloccius* Bibl. Rabb. pag. cexcii. & *Io. Seldenus* in Palaeſt. Diſſert. pag. xxxi. innuunt, & deinde a Chriſtianis, de quo innumerabiles propemodum auctores egerunt

2 De Tibiis Cap. 9. Lib. II.

3 Huiuſmodi manus clarius obſervatur in vetuſtis numiſmatibus, ac monumentis, ſicuti in Tab. C n. II. Comment. in Tab. Abraxeas, ſeu Soles Baſilidianos *Io. Chifletii*, & apud *Begerum* in Numiſm. Max. Modul. Tab. ix xx. xxi. xxxiii. xxxix.

Aſſemanno, aliiſque relatis, atque etiam ex noſtra Tabula conicitur. Vnde *Perſius* (1):

Fert animus calidae feciſſe ſilentia turbae,
Maieſtate manus.

Quum vero ſalutatio per manuum extenſionem uſitata eſſet, caſu digitos nonnullos plicare conſueverunt, uti ab Oratoribus uſurpatum eſſe *Apuleii* (2) teſtimonio probatur, quum ait: *Infiar oratorum conformat articulum, duobus infimis concluſis digitis, ceteroſque eminentes porrigit, & infeſto pollice, clementer ſubridens, inquit.* Eiuſmodi conſuetudo a Chriſtianis, in Sanctam Eccleſiam invecta, manuum extenſione (3), & impoſitione (4) populo benedicebant, praeſertim, quum memoriae proditum eſſet, talem conſuetudinem, & apud ipſos Ebraeos invaluiſſe. Legimus enim Aaronem (5) manum ad

1 Sat. IV. v. 7.
2 Metamorph. II.
3 S. *Ambroſius* De Poenit. Cap. VII. *Quum ergo manus imponitur, benedictionis opus creditis.* Qua in re videndi ſunt *Auguſtinus* Epiſt. 212 ad *Paulinum*, *Menardum* ad *Sacrament. Gregorii* XXVII. *Cerdec* Cap. IX. 38. Conſt. Ap. *Theophil. Raynaudus* Com. XVI. Heteroc. p. CCII. Et *Bona* ad vitr.
4 S. *Hieronymus* Epiſtola ad *Euſtoch.* *Extenta manu, ut benedicere eis poteſt, ſi neſcias, praeſto adeſſe, imm ſalutandi.* *Rainaudus* c. manuum impoſitioni, extenſionem ſucceſſiſſe arbitratur.
5 Benedictione ſolemnes, Sacerdotes populo, in deſignans quibusdam caeremoniis impertiebantur, unde iniungit *Moyſes Aaroni* ſummo Sacerdoti n. VI. 23. *Sic benedicetis filiis Iſrael, & dicetis eis: benedicat tibi Dominus, & cuſtodiat te, oſtendat Dominus faciem ſuam tibi, & miſereatur tui, convertat Dominus vultum ſuum ad te, & det tibi pacem, & adprecans, ſtabat ſublatoque voce, habens & elevatam manum.* Prophetae quoque, & homines a Deo inſpirati, benedictionem adprecabantur ſemulis, & populo Dei. Quibus de rebus adeundi Interpretes ad n. VI. 22. Deuter. XI. 29. *Hackſpanius* in Not. Philolog. ad.

ad populum extendentem, ei benedictionem impertitum eſſe, & Chriſtum in caelum adſcendentem, elevatis manibus, Diſcipulis ſuis benedixiſſe (1). Quem morem Chriſtiani ſervantes, plerumque erectis digitis, excepto anulari, & minimo, myſticum & ἀνεκφώνητον ut nonnulli volunt, τετραγράμματον nomen pronunciantes, elata voce nonnumquam benedicebant (2), quae ratio componendi digitos a pluribus recepta fuit, uti obſervatur in vetuſtis Chriſtianorum picturis, a *Boldetto*, *Bonarotio*, aliiſque collectis, praeſertim Latinis. Hac elatione manus Divinae fortaſſe Triadis myſterium repraeſentari (3), autumat *Bonarotius*. Verum haud conſtanter digiti in hunc modum plicati a ſacris Miniſtris fuere (4), quum inveniamus aliquando Graecos, & Orien-

ad Levitic xxiv. 16. *Io. Henricus Haeneras* in Diſſert. De Ritu Benedictionis Sacerdotalis *Ien.* MDCLXXI *VVagenſeilius* ad Sota p. MCLXXII & MCXXXI. *Campegius Vitringa* Lib III. Synagogae Cap. xx. & *Calmetus* in Supplemento ad Dict. Biblic.

1 Cap. xxiv 50

2 De Sacris Benedictionibus apud Chriſtianos, fuſe commentatus eſt *Iac. Gretſerus* § 1 *Bellarminus* Lib. III 8 De Cultu Sanctorum *Andreas Saussaeus* Part. II Panopliae Sacerdotalis Lib II qui eſt, De Munere Sacerdotali Benedicendi. *Nova inus* Schediaſm. Sacrae Lib. v, Cap. 2 *Io. Seldenus* ad *Eutychium* p xxxvi

3 De more per tres digitos benedicendi ad SS. Triadis myſterium ſignificandum, videndae *Obſervationes ſelectae Hallenſes* Tom iv Obſ. 19 & de more benedicendi digitis, in crucis formam compoſitis, adeo ut primas literas verborum Ἰησοῦς Χριστὸς νικᾷ referant, vide notas ad *Io. Curopalatam* p DCCCIX *Goldaſtum* Tom II Rer. Alimannic p. CXXXVIII Vt Benedictionale *Gregorii* Magni ab *Ygone Menardo* & *Lambecio* II. De Biblioth. Vindob. pag 300. 317. editum; vide & *Suiceri* Theſ. Eccleſ v Εὐλογία

4 *Nic Rayaeus* Diſſ Praeliminar Tom. II Actor Sanct Iunii p. LXIII. ubi digitos a Graecis aliter componi, quam a Latinis obſervat.

Orientales benedixiſſe elato indice, medio, & minimo, plicatis alteris; uti obſervatur in Tabulis a Cl. *Aſſemanno* vulgatis.

Praeterea Angeli caput diademate (1) ornatur, quod dicitur ἀπὸ τοῦ διαδεῖν, id eſt circumligare ac cingere, ut cum *Curopalate* (2) ſentit *Solerius* (3), vel qui ſub eo nomine latet *Theophilus Rainaudus*. Erat autem faſcia capitis Regum Ebraeorum ornamentum (4), aut textile aureum, cum lapillis, & margaritis, impoſitum Imperatoris fronti, & pone revinctum, ad occiput, ut videre eſt in Tabula, apud citatum *Solerium* (5), qui illius uſum primis Romanorum Imperatoribus exoſum, poſterioribus familiarem fuiſſe ſatis ſuperque comprobat (6), ideoque crinini datum Pompeio fuiſſe tradunt, quod ulceris velandi cauſſa crus faſcia circumcingeret, tamquam regium ſibi diadema vindi-

1 Inepte, ſicuti animadvertit *Valerius* De Paleo, *Io. Andreas* in Clement. Roman. de ſur. decretum Diadema a δια, idest dum, & demum, quia denotat principium, & finem ſua rotunditate.

2 De Offic. Aulae Conſtantinop.

3 Quio & *Alex. ab Alex.* Genial. Dier. Lib. I. Cap. xxviii. & *Caelius Rhodig.*

4 De Diademate Regum Ebraeorum agit *Scacius* in Myrothecio tertio Cap. xxxviii. *Io. Braunius* Lib. II. De Veſtibus Ebraeorum Cap. 19 § viii.

5 p. clxxxii.

6 Videndi *Caro Paſcal.* L. ix. De Cor. Cap. III. *Io. Pierius Valerianus* Lib. xli. Hieroglyph. Cap. III. *Martinus Schmeizel* in erudita commentatione De Corona tam antiqua, quam noſtrae aetatis Ien. 1712. p. cxxxix. & quae vir doctiſſ. *Gellium* notant. *Ioſeph Stephanus* Opuſc. De Coronat. Rom. Pontif. ac in Cap. I. Lib. I. Machab. v. 10. Vid. illud in Tab. I. Libri, cui titulus Explication. De Divers Monumens ſinguliers, qui ont Rapport a la Religion Des plus anciens Peuples; vid. & *Michael Angel. Cauſei* Romanum Muſeum, & apud eos, qui Antiquitatis monumenta protulerunt.

Digitized by Google

dicaret, nihilque referre, qua in parte geſtaretur illi obiectum eſſe. & *L. Metellus*, quod ulceris cauſa, frontem faſcia circumdeduſſet, vittati, ſeu diademati cognomen rulıſſe.

Inſuper minime praetereundum eſt ſtragulum illud, quo ſtricte D. Ioſephus involvitur, quemadmodum veteres cubare conſueviſſe, ex citatis *Lambecii* Tabulis quam aperte deprehenditur, atque ex nummo aereo vetuſtiſſimo, ab Equite *Franciſco Victorio* erudite inlaſtrato, in quo Domini noſtri nativitas repraeſentatur, ubi Virgo occurrit in lectulo rudi, ſeu potius ſcamno ſedens, dextra manu praeſepe adtingens ad caput pueri, ſiniſtra e peplo exerta. Tunica induitur ad pectus religata, veloque, iuxta patrios ritus circa caput amicta, & ſtragulo ab utero ad pedes conſtricta cernitur, non aliam ob cauſſam, quam ob quamdam vetuſtiſſimam conſuetudinem, qua ad valetudinem ſervandam, veteres ſeſe in lecto, pannis obtegebant (1). Praeterquamquod neminem latet, ſolidioris Medicinae conſultos exiſtimaſſe, omnia, quae noſtrum corpus arcte involvunt & calefaciunt, ad eiusdem perſpiratum maxime excitandum proderſ-

1 In hunc pene modum conſtricta Virgo Deipara cernitur in Iconiſmo valvarum, quem exhibet *Ioſeph Martinius*, in Theatr. Baſilic. Piſanae Tab. at (. In vigeſima enim ſtenola Virgo defuncta viſitur in feretro, ac undecim Apoſtoli. Quorum duo utrinque Candelas adcenſas deferunt. Alter vero iuxta B. Virginis caput, item adolentis adſtat. Prope ſeſe tiente ab uno latere cernitur manibus infantem linteo obligato involutum geſtans, cui Angelus pilio, & tunica indutus minet.

deſſe. Quam doctrinam profecto humano generi ſaluberrimam, per Philoſophos continuo propagatam, hac tempeſtate a Phyſicis, & Anatomicis, cum *Leeuvvenboekii*, tum *Sanctorii* potiſſimum, *Haleſiique* demum periculis, eo firmius ſtabilitum iri, nemo non videt. Idcirco Cl. *Boerhaavius* pronunciavit (1): *Sanitatem efficiunt, conſervant, augent, & reſtituunt viſcera, vaſa, fibrae robuſtae, motus corporis exercitatus ad primum initium leviſſimi ſudoris, venus modice exercita, excitata corporis ſalubri robore, non mentis inſtigante conſilio; ſomnus ſeptem, vel octo horarum bene tecto corpore, nec gravato, nimio ſtragulorum pondere &c.* Quae quum ita ſint omnino corruent ea, quae in hoc vitro declarando a nonnullis divinata fuere, quum Deiparae Virginitatem, orthodoxam religionis Chriſtianae doctrinam, & Sanctorum Patrum traditionem pene labefactent. Poſt haec eius fuga nobis exhibetur, quae ab Angelo praeeunte, dirigitur; iumenti enim frena dextra moderatur, ſiniſtra autem facem, vel funale, praeſeferre videtur, quod etiam in Angeli cuiusdam manibus obſervatur, in vetere monumento, e marmore Synnadico, in quo iacere ſacroſancta oſſa Beati Lucae Evangeliſtae, in auguſtiſſimo templo Divae Iuſtinae Patavi, refert *Pignorius* (2). Virgo autem aſino inſidet, quem

E du-

1 Inter cetera ad ſanitatem conferre bene tectum corpus adfirmat. vi. Inſtit. Medic. De Oecon. Animal n. ccccxxx.

2 De Servis. p. ccLix.

ducit Angelus, iuxta veterum equitandi conſuetudinem, ſicuti locupletiſſimam fidem faciunt tabulae a *Lambecio* relatae, in quibus feminae ita equitantes repraeſentantur: atque in hunc modum, etiamnum in Gallia equis, aut aſinis vectati perhibentur. Sed, ut ſingula paullatim perpendamus, cuique notum eſſe crediderim, iumentis uſos eſſe ad equitandum honeſtiſſimos pleroſque Palaeſtinorum. Aſinus enim, quamquam ſit ſtoliditatis ſymbolum, nihilotamenminus, iſthuc ipſum haud vetat, quominus etiam aliquid boni, & recti per eum indicetur. Vnde apud Ebraeos praeſertim Cabaliſtas, notante *Pierio Valeriano* (1), erat ſapientiae indicium: & profecto *Ammianus* refert (2), aſinum Piſtorii, tribunali adſcenſo, rudere auditum fuiſſe, & hac re portendiſſe, quod *Terentius* humili genere in urbe natus, & Piſtor, Corrector provinciae renunciandus eſſet. Exploratae fidei eſt, a Debora in Cantico optimates his verbis deſignatos fuiſſe: *Qui adſcenditis ſuper nitentes aſinos* (3). Triginta filii Iair Galaaditae (4), qui totidem urbibus praeerant, totidem aſinis equitabant. Abdon Iudici Iſrael xxxx. erant filii, ac xxx. nepotes (5), quibus LXX aſini praeſto erant. Abraham, quum Summo Deo filium ſuum immolaturus eſſet, hunc ſecum duxit (6). Saul a Deo

1 Hieroglif. xii. 22. Bazbers. Quaeſt Rom xxxxviii.
2 xxviii. 3.
3 Iudic. v. 10.
4 Iudic x. 4
5 Iudic xii 49.
6 Gen. xxii. 3

Deo deſtinatus regno, aſinos queritavit (7). Quum pulcra Abigail Davidem inviſit, ut cum Nabali marito ſuo illum conciliaret, in libris Regum legitur eodem vecta fuiſſe (1). Hinc eſt, quod Chriſtus Ieruſalem ingreſſurus, eo uſus eſt, quin & eius caput in Templo Hieroſolymitano poſitum, coluiſſe Iudaeos, per ſummam, impudentemque calumniam Ethnici tradiderunt (2). Huius calumniae originem ſcrutantes Eruditi, in varias ſententias abiere, ut *Calmetius* (3) prodit. Verum, ut alia veterum Scriptorum teſtimonia, praecipue e ſacris paginis depromta, quae huc adferri poſſent, praeteream, adnotare mihi lubet tantum, aliquo honore apud Graecos, & Romanos ipſum adfectum fuiſſe, a quibus Priapo (4), & in Cybelis ſacris, immolabatur (5). Deinde vero, quum honos ei datus evanuiſſet, teſte *Baronio* (6), Chriſtiani non minus, ac Iudaei per convicium aſinarii adpellabantur, quo nihilominus humiles Chriſtifideles uſi ſunt. *Chryſoſtomus* enim in Epiſtolam ad *Titum* tradit, Patriarcham Conſtantinopolitanum eo vehi ſolitum fuiſſe ἐπὶ ὄνου ὀχεῖσθαι. Et in Vita S. Evermarii legitur: *Haec dicens baculo pro ſcabellis ſubnixus pedetentim domo egreditur, & vectore aſi-*

E 2 nu-

7 Reg. I. ix. 3.
1 Reg. I. Cap. xxv v. 20.
2 *Tacit.* Hiſt. Lib. III 3. & v. 4. 2. & *Plutarch.* Sympoſ. Lib. iv. c. 5
3 In Lex. Bibl. v. Aſinus.
4 *Pitiſcus* Lex. Antiq. Rom. v. Aſinus.
5 Strab. xi. *Saubert.* De Sacrificiis c. xxiii. *Thomas.* De Donariis c. iv.
6 Ad A. xxxxii. n. 13. Et ad A. ccl. n. 21. 22.

nulo ſuo, ad Epiſcopum revertitur. Denique ordo S. Trinitatis, qui a D. Ioanne de Matha, ut habet *Albericus* (1), & ex eo magnum Chronicon Belgicum anno MCXCIX. excitatus fuit, Monachos habuit, quibus quum iter agerent, aſinis tantum vehi liceret, ideoque Aſinarii adpellati fuerunt.

Ad Virginem vero quod attinet, quae aſello ſedens vehatur, ſiniſtra manu vultum ſuſtinens, altera Ioſephi collum amplexa, primum de eius comae cultu aliquid, quatenus propoſita brevitas patitur, delibemus, quem apud omnes aeque gentes in uſu fuiſſe, ex antiqua hiſtoria, & vetuſtis ſimulacris intelligimus (2). Capillos videtur, faſciis, ac fibulis ſurſum circa tempora religatos habere (3), quemadmodum & Chriſtianas mulieres comam alere, & ornare conſueviſſe *Clemens Alexandrinus* indicat his verbis: Ταῖς γυναιξὶ δὲ ἀπόχρη μαλάσσειν τὰς τρίχας, καὶ ἀναδήσασθαι τὴν κόμην, εὐτελῶς περόνῃ τινὶ λιτῇ παρὰ τὸν αὐχένα, ἀφε-

1 Vetus Chronic Tom. II Spicilegii A. D. MCXCVIII. Pontificatus *Innocentii* PP. III. A. I. tradit inſtitutum eſſe ordinem S. Trinitatis, quem ſolebant appellare ordinem Aſinorum, eo quod Aſinos equitarent, non equos. Eorumdem regula, habetur Lib. I Epiſt. *Innocentii* III. pag. 306. Edit. Venetae. *Equos non adſcendant, nec etiam habeant; ſed Aſinos tantum liceat adſcendere datos, vel accommodatos, vel de propriis animalibus ſuſceptos*.

2 *Calmetius* Tom. I, Diſſ. De Re Veſt.

3 Quo ritu, & quanta cura in coma alenda a veteribus impenſa ſit, vid. *Hadrian Iunium* De coma. *Salmaſium* De Caeſarie Virorum, & Mulierum Coma. *Io. Hennegas* Trichologiam. *Briſſonium* De Regno Perſarum & Io. Bapt. *Thiers* in Hiſt. Capillament. De galericulis vero, & capillamentis conſule, quos viri docti ad *Suetonium*, & *Otto Sperlingius* in Comment. ad Nummum Furiae Sabiniae Tranquillinae, & Coniugis Gordiani III adnotarunt.

Digitized by Google

ἀφελεῖ θεραπείᾳ συναυξῆσαι εἰς κάλλος γνήσιον τὰς σώφρονας κόμας. Καὶ γὰρ αἱ περιπλοκαὶ τῶν τριχῶν αἱ ἑταιρικαὶ καὶ αἱ τῶν σειρῶν ἀναδέσεις πρὸς τὸ εἰδεχθεῖς αὐτὰς δεικνύναι κόπτουσι τὰς τρίχας, ἀποτίλλουσαι ταῖς πανούργοις ἐμπλοκαῖς . . . . Ἀλλοτρίων δὲ αἱ προσθέσεις τριχῶν, πάλιν ἐκβλητέοι. ἐθνικὰς τε ἐπισκευάζεσθαι τῇ κεφαλῇ τὰς κόμας, ἀθεώτατον, νεκροῖς ἐνδιδυσκούσαις πλοκάμοις τὸ κρανίον. Certum eſt enim a veteribus S. Eccleſiae Patribus, Pictores, ac Sculptores edoctos fuiſſe, quomodo ſacrae imagines depingendae eſſent, ne a recta veritatis via deflecterent. Velum deinde ſupra caput S. Virginis impoſitum cernitur, ſicuti in quamplurimis monimentis, & in ipſo vitro ſuperius memorato obſervatur. Quem morem apud Ebraeas mulieres invaluiſſe probat *Solerius* (1), adeo ut *Tertullianus* (2), pronunciaverit. *Apud Iudaeos, tam ſolemne eſt feminis eorum velamen capitis, ut inde dignoſcantur*. Idem apud alias gentes uſus viguit. De Graecis teſtis eſt *Apuleius* (3) qui, Graecae mulieris caput mirella textili opertum fuiſſe tradit. De Romanis vero velato capite procedentibus, ſicut maribus, nudo & aperto, teſtis eſt *Plutarchus* (4). Idque eo magis exemplo, non modo vulgarium mulierum firmatur, ſed etiam Auguſtarum, Liviae, Marciae, Fauſtinae, quas in antiquis numis videas. Hinc facile intelligemus, quod *Valerius* tradit

1 cxxi. De Pileo.
2 Lib. de Corona Militis Cap. IV.
3 *Metamorph.* Lib. XI.
4 Cap. XIV Rom.

dit(1) ſcilicet C. Sulpitii Galli uxorem a marito reiectam, quod ei capite aperto verſatam fuiſſe innotuiſſet. Inter Chriſtianos denique velamen, quod flammeum vocabant, nubentibus olim, eſſe adhibitum, docemur a D. *Ambroſio*, qui Libro III. de Virginitate, quum retuliſſet, exprobratum ſibi eſſe, quod puellas nubere prohiberet, eas integritati conſecrando, reſpondit: *Vtinam poſſem flammeum nuptiale pro integritatis mutare velamine*. Et Lib. de Viduis: *Suaſimus, fateor, ut veſtem mutares, non ut flammeum ſumeres*. Quae tamen omnia etiam ex antiquis Chriſtianorum imaginibus percipiuntur, in quibus feminae, aut ſparſis promiſſiſque crinibus, aut collectis, & velamine tectae, vario tamen modo, frequenter occurrunt, praecipue apud *Aringhium*, *Bonarotium*, & *Lambecium*.

Palla ad pedes uſque demiſſa induitur Deipara, quae virginum, & matronarum communior veſtis erat, quum praelonga eſſet, & caput nonnumquam operiret (2), ut indicat *Alexander* Neapolitanus (3), quae fuit mulierum ita peculiaris, & matrum familias cauſſa comparata (4), ut illa viri non facile uti poſſent ſine vituperatione, ut loquitur *Vlpianus* l. xxiii. ff. de Auro, & Argento legato. Quamobrem *Livius* narrat (5), Ptolemaeo Aegypti regi

1 Lib. vi. Cap. III.
2 Vigilius II *Æn Praelongae tegmine pallae.*
3 Lib. v. c. xviii.
4 *Non. xiv* 7 *Palla eſt honeſtae mulieri veſtimentum, hoc eſt tunicae pallium.*
5 xxvii. 4.

gi a Senatu dono miſſam togam, & tunicam purpuream, Cleopatrae Reginae pallam pictam, cum amiculo purpureo (1).

Praeterea, quum calceata ſit Maria Virgo, animadvertendum eſt, haud convenire inter ſe eruditos, an Ebraei nudis ab omni tegumento pedibus incederent. Nudis adſerit *Bochartus* (2) ut non niſi in itinere tibialia ſumerent. *Bynaeo* (3) tamen alia ſedet opinio, qui plerumque calceamentis uſos autumat, & non niſi in ſingularibus rei eventibus, veluti in luctu, lugendiſque criminibus, nudipedes inceſſiſſe arbitratur. Verum exemplis, ab iisdem ad ſuam opinionem tutandam adlatis, non id revincitur, uti oſtendit *Calmetus* (4), qui adſeverat, familiariſſimum apud Ebraeos calceamentorum uſum, ſive in aedibus, ſive in urbe verſarentur, obtinuiſſe. Calcei corio, ut *Balduino* (5) placet, atque initio crudis pellibus conficiebantur, donec poſterioribus ſaeculis commodioris, honeſtioriſve uſus, atque elegantiae, ſtudium concinnandarum, tingendarumque pellium artificium edocuit. Denique haud exiguum primo intuitu dubium exoritur, hanc Virginis ſculpturam perpendenti, an ſine Filio ſuo Ieſu infante ſit Virgo Deipara nec ne: quod tamen dubium reſol-

1 *Ferrarius* De Re Veſt. 1 3. c. 2.
15 *Memmius* Quaeſt. Epiſt. III. 2. *Pitiſcus* v. Palla.
2 Ierozoych. p. 1 c. 70.
3 De Calceo Ebraeorum Lib. I.
4 Tom. I. Diſſ. De Re Veſt. Ebr.
5 De Calceo Ant. Cap. II.

ſolvi facile poteſt, autumando, illum bene involutum, ne a nocturno aere laederetur ſub tumida turgentique infra ſinum veſte, latere, adeoque cauſſa intelligitur, quare Ioſeph Sponſae Virginis femina brachiis circumdatis, manibuſque, hinc & inde complectatur, ne forte ſcilicet infans, iumenti ſubſultu, e divinae Matris gremio excureretur. Atque in hunc modum in vetuſtiſſimis Valvis Eccleſiae Piſanae, apud citatum *Martinum*, Area ſignata litera F, fuga Virginis occurrit, puerum ita ferme geſtantis: ibi enim Ieſu caput tantum ex ſuperiniecta matris veſte prominens conſpicitur, cetera autem adopertus eſt.

Enumeratis hactenus, explicitiſque omnibus iis, quae ad Virginem ſpectare videbantur, nunc inſtituti noſtri ratio poſtulat, ut de Ioſepho, quem dextra amplectitur virgo, nonnulla dicam. Hic virili aetate, non ſenili, ſicuti in aliis monimentis adparet (1), & Virgini admoto capite, ut diximus, eius latera brachiis amplexatur. Tunica, & pallio obvoluto amictus eſt, ut expeditior eſſet in itinere, quem-

1 *Ioannes a Cartagena* Lib. IV Homil. Catholic. Hiſtor. I. § VII p. 216. *diverſas ſententias* de Ioſephi aetate dinumerans, poſt adlata argumenta, ad eius virilitatem probandam, ita ſequitur: *Denique, quod magis urget, ipſaque verba: Putabatur filius Ioſeph. Si regi iudicabatur Chriſtus Dominus ab Ebraeis tamquam filius Ioſeph, manifeſtum eſt, eum aetatis fuiſſe aptae ad generationem, alioquin, nec ipſe aetatem ſpurii, nec Mater adulterae infamiam, ut praeterea auctoris adnotarunt, evaſiſſet.* Eandem ſententiam tuentur *Petavius Theolog. Dogmatis* De Incarnat. Lib. XIV Cap. VII *Salmeronius*, & *Abulenſis* in Matth. L. 9. 32.

quemadmodum apud *Lambecium* iter agentes occurrunt.

Pedes deinde ſoleis, ſive ſandaliis calceatus eſt, quod calceamenti genus plantas pedum omnino a ſentibus, ſalebriſque tuebatur, hinc auctore *Feſto* pedis ſolo ſubiiciebatur. A Grecis ὑπόδημα, & ὑπόδησις a verbo ὑποδέω, ſive ὑποδέομαι, quod eſt ſubligo, nuncupatur, quaſi, quid in eo calceamenti genere praecipuum ſit, ipſa voce indicetur. Quo factum, ut a Poetis, ſaepe vincula, pro ſoleis accipiantur, quamquam interdum etiam vincula pro quovis alio calceamenti genere ab iisdem uſurpari dubium non eſt, ut erudite probat *Balduinus* libro de Calceo, qui varios diverſoſque ſoleas ligandi modos tabula exſculptos repraeſentat. Chriſtus Dominus, apud Lucam [1] Apoſtolis prohibuit, ne calceamenta deferrent, quibus nimirum pedes omnino tegerentur; iisdem ſandaliorum, ſeu ſolearum uſum permittens, utpote quae ſuperiorem pedum partem nudam relinquerent, inferiorem tantum plantam adverſus telluris ſcabritiem munientes, unde in Actis Apoſtolorum [2], ubi Angelus D. Petrum e carcere liberat, iuxta vulgatam lectionem habetur, *Calcea te caligas tuas*: Graeca lectio habet: ὑπόδησαι τὰ σανδάλιά σου, ideſt, ut recentiores quidam vertunt, ſubliga ſoleas tuas. Eorum autem

1 Cap. x. v. 4. 2 Cap. xii. v. 8.

tem uſus noſtro etiam ſaeculo ad Monazontas quosdam tranſiit, eo quod ſit calceamenti genus ſimpliciſſimum, & ab omni luxu, & mollitie maxime remotum, ut Apoſtolorum, & ſacrorum Eccleſiae Miniſtrorum egeſtatem imitentur, uti *Iulius Nigronius* (1), & *Dufreſne* (2), probare contendunt.

En igitur magnanime Praeſul, ea, quae de hac gemina Tabula, cuius αὐτόγραφον olim vidi, tractavi, & mature conſideravi, cuius vero ἀπόγραφον exactiſſime gypſo excuſum in praeſens in meo Muſeo adſervatur, & brevi temporis intervallo mihi properanti dicenda viſa ſunt, etſi nimia & copioſiore exquiſitioreque eruditione fortaſſe exornata, quam huiuſmodi argumenta exigant. Id mihi facile condonabis; dummodo animadvertas in iis Tabulis declarandis id mihi praeſtandum fuiſſe, ne ſi quis poſt me idem opus fortaſſe tentaverit, ulla ei eruditionis ſupellex obvia, & e meo penu iam depromta, deficiat. Orationis tantum nitor deſideretur; quem tum ineptus natura neutiquam adhibere potui, tum ſaepe neglexi, ut, quod in animo erat, planius rem patefacerem.

1 De Caliga Cap. II. 2 In Gloſſ.

92 54085
Digitized by Google